

17 Certè enim certius est, Deum ipsum, qui valdè nostris votis, ac precibus gaudet, æqua lance desiderare, ut non ita se totum Princeps, vel quivis alius, pietati concedat, quin sua ex parte rei gerendæ se aptet, & ita in divinis auxiliis speret, ut humana disponere pro viribus curet. Scitum est enim illud Ovidii (a):

*Ignavis precibus fortuna repugnat.*

Et ut Sallustius (b) sub persona M. Portii Catonis prudentissimè monuit, *Non votis, neque supplicationibus muliebribus, auxilia deorum parantur, vigilando, agendo, benè consulendo, prosperè omnia cedunt. Ubi socordie te tradideris, ne quicquam Deos implores, irati offensique sunt, quod adeò verum reputat Livius (c), ut dicat, stultitia est, sedendo aut votis debellari credere posse. Armari copias oportet, & deducere in equum, ut virum viro congrediaris.*

18 Qui etiam alibi (d) Ducem quemdam acriter reprehendit, quia sperabat, nihil agenti, de cælo sibi victoriam in sinu devoluturam, vel dormienti, ut Terentius (e) ait, hæc confecturos Deos, ut de Timotheo Atheniensium Imperatore olim referebatur, cui, quòd multa feliciter obtingerent, magis commoditate fortunæ, quàm ipsius opera dictum fuit, dormienti ei urbes in rete intrare. Quod Adagio locum fecit, *Dormienti rete trahit*, ubi Erasmus (f) alia congestit, & Emblemati Batilii, (g) quod sic habet:

*Huic urbes captas fortuna in retia cogit,  
Dum jacet, & molli membra quiete levat.  
Sic multis mens læva, quibus sit munera dextra,  
Et malè res captæ, res benè semper eat.*

19 Tendit quoque in idem aliud Lacedæmoniorum Proverbium (h): *Admota manu Fortunam esse invocandam*, quo significabant, orandum simul, & operandum, & nihil ignavis votis Fortunam concedere, ex quo Schoonhovius (i) hoc Emblema formavit, sub figura fortunæ, sic supplicibus, ante se positis, respondentis:

*Rebus in humanis nostrum solamen opemque,  
Nil juvat ignava sollicitare prece;  
Audentes fortuna juro: conamina vestra  
Jungite, & hoc nostrum præstò erit auxilium.*

20 Et apud Græcos, secundum Erasmus (k), & Junium, aliud percerebuit, *Non omnia per bovem obtinebis, vel ne contra bovem opta*. Quo pariter indicare volebant, non tantum sacrificiis, aut litationibus, votisque pro arbitrio omnia cessura, sed laborandum quoque nobis esse, si compotes voti evadere cupimus, & Aeschylus illud mente versandum.

*Quisquis laborat, huic manum præbet Deus:  
Laboranti debetur divinitus gloria, laboris proles.*

21 Neque aliud monere voluerunt Avienus (l), & Faernus (m), fabulam confingentes, de quodam auriga, sive bubulco, qui vulsis crinibus, & tensis ad cælum palmis, jura Juppiter, vel jura Hercules, frustra clamabat, cum ipse manus non admoveret equis, sive bobus, & curru, qui in foveam, vel paludem inciderant, & desuper ei responsum fuit *Jura te ipsum, quod etiam in Adagium pertransiit, & apud Nos (n) hoc carmine commendatur, A Dios rogando, i con el mazo dando*. Avieni carmina hæc sunt:

*Perge laborantes stimulis agitare juvencos, Fac superos animis conciliare tuis.  
Et manibus pigras discite juvare rotas. Disce tamen pigris, non flecti nomina votis,  
Tunc quoque congressus, majoraque viribus ausus, Præsentisque adhibe, cum facis ipse, Deos.*

22 Ex qua Fabula, vel simili, agasonis in lapsu asini ociosè Herculem invocantis, symbolum quoddam exhibuit Achilles Bocchius (o), sic ex illo deducens:

*Fac ergo, quisquis es, aliquid tu te interim,  
Deinde invocato munera.*

23 Et Batilius hoc (p): *Alcidem lapso rogat, ut succurrat assello, Cui Deus. Ad primum tu hæc otia tollere debes, Nec se se ipse, sedens, segnis agaso movet: Primus, & ad partes ipse venire tuas.*

Sic postea (q) in ejusdem Emblematis notis subjiciens, *Nihil boni parat otium inane, neque Deus otiantibus assistit. Terram limosam nemo fortunæ relinquit, ut ex illa lateres conficiat, neque corium possidens, aut lanam otiosus sedet, fortunam precibus fatigans, ut ex hac materia togam, & calceos paret. Nempe ars non expectat fortunam, sed labor, cum Minerva manus admovenda, laborantem Deus pariter adiuvat. Sic olim Sagittario invocanti Deus affuit, & telum iura direxit; sic Cytharedo Orthium canenti, cum ner-*

(a) Ovid. 8. Metam.  
(b) Sallust. in Catilin.  
(c) Livius lib. 2. Decad. 3.  
(d) Idem lib. 6.  
(e) Terent. in Adelphis. Act. 4. Scen. 5.  
(f) Erasmus. in Adag. pag. 263.  
(g) Batil. Embl. 30.  
(h) Erasmus. in Adag. pag. 203.  
(i) Schoonhov. Embl. 5.  
(k) Erasmus. in Adag. pag. 335. & 731.  
(l) Avien. Fab. 32.  
(m) Faern. Fab. 91. Causin. in Polist. symb. lib. 1. cap. 9. pag. 73.  
(n) Vide de hoc Hesp. Adag. Covarrub. in Theor. singul. Cart. verb. Mazo.  
(o) Bocch. lib. 2. symb. 52.  
(p) Batil. Embl. 25.  
(q) Idem in Notis.

vus defuerat, Apollo ipse cicade specie respondit (r).

24 Nihil autem ad hanc rem aptius me legisse memini, eo, quòd Plutarchus (s) recenset, Perseum Macedonum Regem increpans, quòd commisso prælio, cum Paulo Æmilio, in quo de suo Regno, imò & de capite periclitabant, in oppidum Pydnam se magna ignavia subduxit, per causam sacrificii Herculi faciendi, *Trepida à trepidis* (ut Plutarchus addit) *non recipienti sacra, nec vota admittenti nefanda. Neque enim fas est, ut qui non jaculatur, destinationem feriat, neque qui locum non tenuit, is ferat palmam: neque ut habeat socors successum, neque ut sit malus beatus. Sed Pauli precibus volens, propitiisque annuit Deus, quippè petebat victoriam belli, & palmam, hastam tenens, pugnansque, opem implorabat Dei.*

25 Et hoc quidem est, quod Jurisconsulti dicere (t) solent, *Vigilantibus non dormientibus jura subveniunt, & Theologi, facienti quod in se est, Deus suam non denegat gratiam*. Qui etsi omnipotens sit, miracula tamen, ubi illis non est opus, excusat, & divinis suis manibus, atque operationibus, nostras quoque admisceri desiderat, ut Ego alibi (u) ostendi, & integro discursu in hanc rem edito, ex tribus locis, & exemplis Sacræ Scripturæ, benè Ambrosius Moralius (x) evincit. Quibus adjici potest, quod Tilmanus (y) memorat, Sanctum quemdam virum, quem multi hac ætate noverunt, ad Regem Magnum dixisse, *Reges, non tantum, ut ores, sed ut regas: ne per orationes, & pietatem tuam gebenam mereare.*

26 Illud planè, & pium, & securum, omnique jure, & ratione ob omnibus Principibus observandum, consulimus, ut Deum, quem suis votis, & precibus ante bella, aliasque res arduas, sibi adesse præoptant, eundem, adeptis demum victoriis, vel prosperis potiti successibus, æqua pietate agnoscant, & revereantur, ipsiusque potentia, quicquid pro votis contigerit, tribuant, cum ipso verè victoriarum omnium auctor, & Dominus sit, ut ex superioribus patet, & latè prosequitur Julius Ferretus, (z) Agesilai exemplum adducens, qui, ut Xenophon in libro de ejus laudibus tradit, quoties fortuna utebatur prospera, Diis immortalibus habebat gratias: & fiducia plenus, plures machabatur hostias, quàm rebus suis metuens, ac diffidens voveret. Cui similis Paulus Æmilius apud Plutarchum (a), non tam sibi, quàm Diis, partam insigne, illam de Perseo Rege victoriam, acceptam ferre voluit, & in ejus gratiam plures victimas immolavit.

27 Idemque Sacra pagina de Israelitis (b) agens, commendat, dum post debellatos Assyrios, & Bethuliam, egregio Judithæ facinore, ab obsidione liberatam, *Omnis populus venit in Hierusalem, adorare Dominum: & mox ut purificati sunt, obtulerunt omnes holocausta, & vota, & repromissiones*. Et rursus, dum Josue de Haithis (c) triumphans, ex præcepto Domini Altare construxit, & super eo hostias pacificas obtulit, & machavit. Davidis quoque exemplum idem ostendit, passim in suis Psalmis, sed præcipuè (d) in centesimo tricesimo septimo, pro victoriis, quas à Domino acceperat modulantis. Cujus pietatem ibidem (e) D. Chrysostomus his verbis extollit: *Non quemadmodum nonnulli molles, ac dissoluti, qui antequàm quidem accipiant, sunt vehementes: postquàm autem acceperint, elanguescunt; sed hic quidem, & antequàm acceperit, agit, & postquàm accepit, perstat, agens assidue gratias.*

28 Et pariter D. Ambrosius (f), Theodosium Magnum ob eandem virtutem collaudans, sic ait: *Alii Imperatores in commemorationem victoriæ, arcus triumphales parari jubent, aut alia insignia triumphorum. Clementia tui hostiam Deo parat oblationem, & gratiarum actionem per Sacerdotes celebrari Domino desiderat.*

29 Qua etiam in parte, quantum semper Catholicorum nostræ Hispaniæ Regum, & Augustæ Austriacæ domus, Religio, & Pietas emicuerit, satis ostendunt exempla à me supra in aliis commentariis (g) relata, & ab Antonio Panormitano (h) de suo Rege Alphonso verba faciente. Et tot ob hanc gratiarum actionem anniversariæ commemorationes indictæ, tot insignia Tempia, & Cænobia ex voto constructa, & amplissimis simul redditibus, pretiosisque donariis dotata, & tota Hispania D. Jacobo, glorioso ejus Patrono, pro victoriæ de Clavijo, veluti in tributum obnoxia. De quibus Ego alibi (i) aliqua dixi, & plura, vel de solo Belgio loquens, Aubertus Miraus (k) congestit, & noster Saavedra (l) post Marianam, eandem pietatem extollens, eique pro premio ingentem, qua hodiè fruitur, Monarchiam, datam fuisse considerans.

30 De pietate autem Romanorum, Diis, etiam pro adversis, litantibus, jam supra (m) cum Valerio Maximo memini, & nunc huic commentationi verbis Senecæ finem impono: *Hoc conditio humana, vel pessimum habet, quòd fortuna quos miseros fecit, & superstitiosos facit, diligentius dii coluntur irati.*

(r) Vide de hac Fabula Clement. Alex. in exhort. ad gent.  
(s) Plutarc. in vita Paul. Æmil.  
(t) L. Pupilius, D. que in fraud. cred. cum similibus.  
(u) Ego 1. tom. de Indiar. fur. lib. 2. cap. 3. ex num. 67.  
(x) Ambros. Moral. discurs. 3.  
(y) Tylman. in Aula Tyrocin. cap. 6. num. 19. pag. 21.  
(z) Ferret. in tract. de just. bello, cap. ult. de victor. Deo tribuend.  
(a) Plutarc. in Paul. Æmil.  
(b) Judith 16. 22.  
(c) Deuterom. 27. 6.  
(d) D. Chrysost. in Psalm. 131. vers. 1.  
(e) D. Chrysost. ibidem.  
(f) D. Ambros. lib. 8. epist. 58.  
(g) Supr. Embl.  
(h) Panoem. lib. 4. sub finem.  
(i) Ego 2. tom. lib. 3.  
(k) Miraus in Codice donationum piarum.  
(l) Saaved. Empr. 25. ex pag. & Empr. 97. pag. 718.  
(m) Supr. Embl.



EMBLEMA XCVII.  
VULGI LATRATUS SPERNENDI.



En Zephiro genitore satus, velocior Euro  
Fertur, nec sistit quaque latrante cane.  
Ovaeque tolluntur, quamvis gallina reclamet,  
Et rauco strepitu personet ipsa diu.  
Quidquid iners vulgus resonet clamore, latratu,  
Rex insta, propera, quodque agis, illud age.

## COMMENTARIUS.

**Q**uod Cassiodorus (a) scripsit, Alacriter incumbendum esse incubatis, cum jam vicinitas perfectionis ariserit; quando spes effectus, tedium laboris excludit, & magnum genus incitamenti credere desiderata compleri. Animosiorem me reddit, ad pauca, quae jam restant, Emblemata capessenda, & breviori, qua possim, commentatione, illustranda. Praesens autem eò tendit, ut Princeps, quem Perfectus, & undique Constantem desidero, & Caput, Patrem, Pastorem, & Tutorem sui Populi esse, in superioribus (b) dixi, ubi prudenti maturoque consilio aliquid, vel Paci, vel Bello conducere senserit, id sedulo exequi curet, neque vanis ejusdem populi vocibus, aut latratibus terreatur, vel ab incepto cursu desistat, nisi forte eò prorumpat audacia, ut gravis aliqua commotio timeri possit, cui sedandae parem se esse non sentiat. Tunc enim prudentius erit, tempori deservire, & meliorem rei bene gerendae occasionem expectare, ut jam supra in alio Emblemate monui (c).

**2** Et hoc est, quod jura (d) Nos docent, vanas voces populi non audiendas, sed contemnendas esse; docerique illum, non sequi deberet, & si nesciat quid liceat, quid non liceat, commoneri, non autem illi assensum praestare oportere. Idemque videtur sentire Seneca (e), inquiens: Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant, argumentum pessimi turba est. Cicero (f), Sed tamen non gravissimum est testimonium multitudinis. In omni enim arte, vel studio, vel quavis scientia, vel in ipsa virtute, optimus quisque rarissimum est, & apertius Aelianus (g), consulens, ut qui unumquodque rite gerunt, & administrant, non multitudini, sed iis tantum qui rei scientiam habent, placere procurent.

**3** Etenim ut Solon, testante Plutarcho (h), dicere solitus erat:  
Omnibus in magnis difficile est placeas.

Et sic se hodie mores hominum habent, ut omnes sapere, omnes censere praesumant, & audeant, sintque plures eorum, sinistra quos in lucem natura extulit, qui nec quicquam possint, nisi meliores, melioraque carpere, & pro capto arbitrioque suo omnia metiri moderarique velint, ad quos forte respexit Plinius Junior (i), cum dixit, Nihil esse, aut pigrius delicatis, aut curiosius ociosis. Quorum vota si in quo-

(a) Cassiod. lib. 5. epist. 17.

(b) Supr. Embl. 11. & sequent.

(c) Supr. Embl. 43.

(d) L. Decurion. filii, C. de Panis, l. Constat, D. de appellat. cap. 2. de elect. Textus optimus in cap. Docendus, dist. 62.

(e) Senec. de Vita beata, cap. 11.

(f) Cicer. lib. 2. de Symb. con. & mal.

(g) Aelian. de var. hist. lib. 2.

(h) Plutarco. in Solone.

(i) Plin. Jun. lib. 5. epist. 23.

libet negotio exquirenda, exaudiendave essent, tot sententiae quot capita reperirentur, in quibus tamen nullum caput conspici posset, ut bene insinuavit ille, qui hanc vulgi naturam hoc Disticho clausit (k):

Bellua multorum capitum cur nominor? atqui

Cordatis nullum credor habere caput.

**4** Quapropter Cleantes, à Clemente Alexandrino (l) relatus, hoc ipsum nostrum monitum his carminibus clausit:

Ne spectes famam dum vis sophos esse repente, Judicium sapiens, & justum non habet ullum

Terreat amentis nec te sententia vulgi. Vulgus, & in paucis vix hoc reperire licebit.

Et magis sententiosè, ac breviter Comicus:

Pulchra in tumultu judicare non decet:

**5** Et D. Basilius apud Philippum Camerarium (m), sic inquiens, Nihil aequè cavendum sapienti, atque illud, ne ad aliorum opinionem vivat, neve quid populus probeat circumspectat, sed rectam rationem potius ducem, & gubernatricem vitae statuendam esse.

**6** Et non inelegantius D. Cyprianus (n) admonens: Graves viros, & semel supra petram robustam solida stabilitate fundatos, non dico aura levi, sed nec vento, nec turbine commoveri: ne animus dubius, & incertus variis opinionibus, velut quibusdam ventorum incursantium flatibus, frequenter agitur à proposito suo, & quadam levitatis reprehensione mutetur.

**7** Anacharsis etiam Scythia, qui inter septem sapientes connumeratur, ut post Plutarchum Petrus Crinitus (o) commemorat, Atheniensium statum inde brevi interitum praedixit, quod populi imperio agebatur, Cui videlicet proprium sit, & in minimis maxime formidare, & in maximis minime prospicere.

**8** Et proinde Charondas, qui leges eisdem Atheniensibus condidit, in hunc modum de populo concludebat: Qui se populo committit, fortunam non rationem sequitur: qui fortunae facit periculo, & aleae se dedit: qui in alea est, ad ruinam, & cladem inclinatur. Et Tacitus (p), Plebi (inquit) non judicium, neque veritas, & Demosthenes (q), Populus sanè turba est, & res omnium instabilissima, ac imprudentissima, ut in mari fluctus, flexibilibus, & inquietis, qui ut contingit agitur: alius venit, alius recessit, ac nemo Republicae curam gerit, inò ne meminit quidem.

**9** Quis addere licet aliam vulgi definitionem, sive descriptionem à D. Hieronymo (r) traditam, quae sic habet, Vulgus habet os barbarum, procax, & in convicia semper armatum: quidquid novum insinuerit, aut auctor, aut exaggerator est fame. Ad quod alludens Joannes Roman. Pontifex xxiii. (s) rogatus quid esset à vero remotius, Vulgi (inquit) sententia, quidquid enim laudat, vituperatione dignum est: quidquid cogitat, vanum, quidquid loquitur, falsum; quod improbat bonum est, quodque approbat, malum: & quidquid denique extollit, infame.

**10** Unde Pythagoras volens idem, quod Nos nunc facimus, insinuare, inter sua symbola hoc posuit, Popularibus viis ne incedito, quo, ut exponit Athenaeus, significavit, multitudinis sententiam, non esse sectandam (nam unusquisque temere, ut fors tulit, & prout sibi visum fuerit, respondet ac statuit) sed potius rectam viam insistentem, mentemque utendum gubernatrice. Pythagorae sequax, Diogenes Cynicus, ut in ejus vita Laertius (t) enarrat, quodam die theatrum ingressus, ipse adversus populum nitens ingrediebatur. Interrogatus autem, quamobrem id faceret? Hoc (inquit) in omni vita facere studeo. Sentiens, hoc sapientis esse viri, in omnibus actionibus à multitudine dissidere, & ut Attius dicebat, Paucis probatus potius quam multis esse, propterea quod vulgus hominum cupiditatis agitur, non ratione.

**11** Coelius autem Rhodiginus (u) symbolum, aliud deducit ex Jovis simulacro, jam supra (x) ad aliud relato, quod inquit apud Cretenses, absque auribus confingi, exculpive, aut ex aere duci solitum fuisse, hoc pacto docere volentes, Principem virum, & omnibus late dominantem, audire addecere neminem: sed id demon persequens, quod dicitur rationis examen, & justitiae nusquam praeforatae integritas.

**12** Petrus Costalius (y) pariter, non pendendum à judicio inperitae multitudinis ostendere tentans, Antigenidam pingit, discipulum his carminibus alloquentem:

Cum tua non placeat tunicato Musa popello, Multum est, & Musis, & placuisse mihi.

Respuat, & numeros publica turba tuos. Judicium indocti Sapiens contemnere vulgi.

Tene insulsa morcent queruli fastidia vulgi? Debet, & adversa sedulus ire via.

**13** In quod recidit illud Hippomachi tibicinis, apud Aelianum (z), qui cum discipulus suus aberraret ab arte inter fistulandum, & nihilominus plausum auditorum assequeretur, baculo eum percussit, dicens: Perperam fistula cecinisti, nam aliòquin hi tibi, non aplauderent.

**14** Saavedra noster (a), sub conchae symbolo, quae impolita exterius, interius tersum, & pretiosum margaritum abscondit, Principem monet, Nec se quiescerit extra, nec vanis populi opinionibus,

Eeee

vel

(k) Joann. Oven. in Epigram.

(l) Clem. Alexand. lib. 5. Stromat.

(m) D. Basil. apud Camer. Cent. 2. cap. 51.

(n) D. Cyprian. in epist.

(o) Petr. Crinitus lib. 1. de Hon. dist. cap. 4.

(p) Tacit. 2. hist.

(q) Demosth. in Orat. de fals. legatione.

(r) D. Hieron. epist. 22.

(s) Joann. R. P. xxiii.

(t) Laert. lib. 6.

(u) Rhodig. lib. 10. cap. 3. col. 436.

(x) Supr. Embl. 54.

(y) Costal. in Pegm. pag. 235.

(z) Aelian. lib. 14. de Var. Hist. cap. 8.

(a) Saaved. Empr. 32. es pag. 215.



vel rumoribus deserat, quod ratione distante perceperit, & hæc ad rem nostram conducentia verba subnectit, & variis exemplis illustrat: *No pende la verdad de la opinion: desprecia el Principe, quando conoce que obra conforme á la razon. Pocas cosas grandes emprenderia, si las consultase con su temor á los sentimientos del vulgo*, quod etiam ipsum prius elegantissime monuit Mag. Marquez (b) concludens, *Que no desista por la contradiccion de sus vasallos.*

15 Aptius Alciatus (c), ceteris palmam præripiens (licet ad alium finem) luna depinxit, quæ quamvis ei canes adlatrent, cursum semel initum, nec flectit, nec deserit, hoc à se factum, & à prudentibus viris faciendum edocens, licet invidiorum, & obrectantium conviciis, & latratibus impetantur. Cujus vestigia sequuntur Jacobus Bruck (d). Et Joachim Camerarius (e), alia similia Emblemata commentum sunt, quæ brevitatis causa non refero.

16 Ego autem, si hæc pictura, jam ab his occupata non esset, ea quidem, & aptius, ut arbitror, ad admonendos Principes uteretur, ne vanis, ut tradimus, vulgi vocibus à prudentibus consiliis exequendis desistant. Sed quoniam occupatam, licet ad aliud, invenio, ejus loco Sonipetem pingo, *cujus clara fuga ante alios, & magnus in æthere pulvis*. Qui, licet dum currit, à canibus oblatretur, illos tamen spernens, suum cursum prosequitur, & ob hoc ipsum fortè velocior, & concitior, tamquam si frigida suffunderetur. Addo & mulierem, ova, quicquid galli, & gallinæ glocient, garriant, & reclamant, intrepidè ab ipsarum oviparis, nidisve summentem, & extrahentem (f). Quod summi ex Patre Joanne David in suo veridico Christiano (g), qui eisdem similitudinibus utitur, ad Christianos suadendos, ut salutem animæ suæ omnimodò curent, neque ab hac via sequenda, ob auram popularem absterreantur, hoc Disticho usus:

*Virtutis ne via populari absterreat aura?  
Urge iter usque tuum: discerpant cetera venti.*

17 A quibus non multum discrepat Seneca (h), qui docens à constantibus, & prudentibus viris injurias sperni, non vindicari debere, sic dixi, *Ille magnus, & nobilis est, qui moræ magnæ feræ, latratus minutorum canon securus exaudiat*. Et Socrates, qui, ut Laertius (i), & Agellius (k) referunt, rogatus ab Alcibiade, quomodo Xantipem uxorem adeò rixosam ferre posset, respondit: *Qui ovīs vesci vult, glocitantium gallinarum strepitu offendi non debet. Equidem sic domi patientiam disco, ut foris melius exercere queam*. Epitectus quoque apud Stobæum, idem insinuat, inquiens, *Sicut neque strepitu anser, nec balatu ovīs percellit: is neque vocis multitudinis vox terreat, utque multitudo temerè aliquid suum postulans, te non perturbat; sic tu, nec populum iniquè obturbantem tibi, reformidato*.

18 Et herclè cum illud Dionis Cassii (l), tam obvium, quàm certum omni seculo fuerit, *Res gestas, vel gerendas, taxare facillimum cuiuslibet*. At res Egregias gerere, perdifficile, paucisque datum, si ad quoslibet vulgi latratus, sive glocitus Princeps Heroicarum, quas molitur, actionum executionem suspendere deberet, parum & sibi, imò & ipsi vulgo consuleret, quod ut vetus Monasticum habet,

*Ex opinione judicat, veri inscium.*

Et postea rebus prosperè gestis, gestit, & gaudet, & quod antea exprobarat, extollit, ut tempore Catholici Regis Ferdinandi vidimus contigisse, quem populus, quod tot bellis intentus, eum tributis onerabat, multis querelis, & satyris impetivit, quas demum in laudes, ob gloriam Hispanæ Monarchiæ, eximia ejus prudentia, & virtute, additam, convertit, & posteris Regibus exemplar optavit.

19 Et hoc intelligens Alphonsus Rex Aragonum I. referente Panormitano (m), peroptare solebat, ut popularium suorum unusquisque Rex extitisset, quo demum illi, utpotè experti, cognoscerent Principum curas, & quàm difficile esset Imperanti, omnibus satisfacere, cum tam diversa sint hominum ingenia, opiniones, & voluntates, & ut ait Horatius (n):

*Renuas tu, quod jubet alter:  
Quod petis id sanè est invisum acidumque duobus.*


20 Neque quicquam superioribus obstat, quod Cleomenes (o) apud Stobæum dixerit, *Vulgi arbitrium supra Principes esse*, & Salomon (p) *gloriam Regum investigare sermonem*. Id est ut Cajetanus exponit a nostro Salazario relatus, judiciorum factorumque suorum rationes, multitudini contentas esse, in magna gloria ponere debere. Hæc enim ad communem vulgi conditionem referenda sunt, qui judicio suo de Principibus, ut diximus, pro suo modo ac capto judicare audeat: cui interdum convenit rationes indicare, ut ejus calumniis, & obrectationibus occurratur, non autem ut vanis ejus vocibus, rumoribus, aut timoribus, à recta sua sententia desistat, vel pedes capiti imperare permittat, quod quàm sit periculosum, & ab omni prudentia alienum, satis ex superioribus patet.

(b) Marq. in Gubern. Christ. lib. 2. pag. 62.  
(c) Alciat. Embl. 162.  
(d) Bruck Embl. 26.  
(e) Camer. Centur. 2. Embl. 61.  
(f) Vide lib. de injur. vocand. & Erasm. in Adag. p. 342.  
(g) Verid. Christ. cap. 37.  
(h) Senec. lib. 2. de Ira, cap. 32.

(i) Laert. in vita Socratis.  
(k) Agell. lib. 1. cap. 17.  
(l) Dion. Cassiod. lib. 9.  
(m) Panorm. lib. 3.  
(n) Horat. lib. 2. epist. ad Florum.  
(o) Cleomen. apud Stob. ser. de vulgo.  
(p) Proverb. 25. 2. ubi Cajetan. & Salazar.

EM-

VIRTUS INVIDIAM GIGNIT, ET SUPERAT.



*Quàm rutilans à Sole viges; ast imminet umbra,  
Non lux sola datur; nam datur umbra comes.  
Æmula virtutum fulgores umbra sequetur,  
Temne at Rex umbram, quæ nihil intus habet.  
Te scopulum decet esse Potens, detractio, probrum  
Impetat, ardescat, dum ruit, ipse mane.*

COMMENTARIUS.

1 Ictet Seneca (a), & alii (b), qui rectè de humanis actionibus judicant, gloriam Virtutis umbram appellant, quæ præclara gerentes, etiam invitos comitari debeant. Unde Hadrianus Junius (c) justissime dixit.

*Gloria continuos nunquam moritura labores  
Sequitur, virensque in ore vivet perpetim,  
Gloria debetur studiis, atque assecla merces.*

Et Petrus Costalius (d), eam, non aliter virtutem sequi, quàm ignis Naphtam, bituminis genus (ut tradit Plinius) etiam longiusculè positum, ex quo hoc Pegasus deduxit.

*Insequitur Nephtam longè quam senserit, ignis,  
Et necis, & vitæ fœdus uterque ferit.  
Sic & virtuti comitem se gloria præbet,  
Et præclara solet laus benefacta sequi.*

2 Nescio tamen quo malo humani generis fato, hujus umbræ vicem invidia, calumnia, & detractio frequentius sortiatur, quibus egregii, & præstantes quique viri, & maxime Principes,

Eecce 2

(a) Senec. epist. 79.  
(b) Erasm. in simil. folio 42.  
(c) Jun. Emb. 3. & 21.  
(d) Costal. in Pegm. pag. 335.  
(e) Tull. 4. ad Heren.



pes, expositi sunt. Ita ut Marcus Tullius (e) prudenter dicere potuerit, *Virtutis comitem invidiam, plerumque bonos insectari*, Plutarchus (f), *in civium invidiam plerosque Duces nimia bonorum, & potentiae cupiditate proventus impingere*. Polybius (g), *praeclara facinora, & res à quopiam viro egregie gestas, magnam plerumque invidiam, & graves calumnias, ubique conflare solere*. Valerius Maximus (h), *nullam tam modestam felicitatem esse, quae malignitatis dentes vitare possit*. Tacitus (i), *cuncta magnis imperiis obiectari solita*. Dion Cassius (k), *omne id, quod communem sortem excellit, aemulatione invidiaeque aliorum obnoxium est*. Hinc illud eorum, quorum conditio est inferior, contra se superiores, bellum perpetuo existit. Et absolutius Ovidius (l).

*Summa petit livor, perflant altissima venti.*

Et Seneca (m), *Habet virtus quoque praecedentem causam ad invidiam, multis enim propter sapientiam, multis propter justitiam invidetur, & Justus Lipsius, idem ipsum similitudine exprimere, Arborea, quae juxta vias sunt, saxis, & fascibus saepius impetuntur, sic homines linguarum bis telis, qui in limine melioris fame.*

3 In eandem rem plura alia loca, & exempla adducere possem, quae videri poterunt, apud varios Auctores à Me alibi (o) latè congestos; sed contentus ero Philippi Cominaei verba subnectere, qui aulae, & ceterarum rerum experimentissimus, Principes (ut & Nos praesenti Emblemate nitimur) adhortatur, ut patienter invidiam, & calumnias susineant, sciantque has, Magnarum Potestatum assecras, vel pedissequas esse. Ita, ut qui vult suaviter vivere in hac vita, sive calumnia, & invidia, is perinde faciat, ac qui vult in clarissimo Sole, sine umbra versari.

4 Quae quidem verba, ut & Nostro Emblematis ansam, ita & illustrationem praestare poterunt, & veritatem illius sententiae Taciti (p) comprobare. Non minus periculum ex magna fama, quam ex mala, Cassiodori (q) qui molestam invidiam, rebus maximis amicam appellat, & Ciceronis (r), qui reliquis elegantius, hujus malae umbræ affectus, & effectus miseram facere Principum conditionem, his verbis proclamat, *O miseras conditiones administrandarum civitatum, & provinciarum, in quibus diligentia plena simultatum est, negligentia vituperationum: ubi severitas periculosa est, liberalitas ingrata: sermo insidiosus, assentatio perniciosa, fons omnium familiaris, multorum animus iratus, iracundiae occulta, blanditiae apertae, venientes Praetores expectant, praesentibus inserviunt, abeuntes deserunt*. Cui consonat Quintilianus (s) iniquis. Hanc esse conditionem omnium, qui administrationem Reipublicae aggrediuntur, ut ea, quae maxime pertinent ad salutem communem, cum quadam sua invidia efficere cogantur. Et illud Themistoclis apud Plutarchum (t), qui cum adhuc adolescens esset, nihil à se fieri splendidum dicebat, cum neminem adhuc sibi invidum sensisset.

5 Quod etiam idem Plutarchus (u) notavit in libro, quem de silentio Pythiae oraculi scripsit, commemorans, Corinthi in Oeoe, inter templi anathemata exitisse palmam aeneam, cujus ad radices visebantur ranæ, & serpentes, quibus significabatur, à vitiligatoribus, obstrepentibus ac maledicis invidorum linguis, exitiali veneno armatis, impeti illorum vitas, qui non obliqua, sed recta ratione ad dignitatis, rerumque fastigia emergunt. Ex quo Hadrianus Junius (x) Emblemata confecit, sub titulo *Invidia integritatis assecra, & his carminibus.*

*Palma caput tollit caelo ardua, cujus ad ima*

*Rana loquax, stabulantur & hydri.*

*Opugnant Procures, quorum via consona recto est,*

*Degeneres, atque invida lingua.*

6 Quem referens, & sequens Joachimus Camerarius (y), ita in quodam ex suis Emblemate habet.

*Quantum Palmae hydri possunt ranæque nocere,*

*Tantumdem invidiae virtus obesse potest.*

7 Est etiam dignum relatu, illud aliud Jani Boissardi (z), invidiam, quae anguibus plena, virtutem insequitur, depingentis, à qua tamen hæc, se ipsam, suae innocentiae scuto defendit, magisque confirmat, & exerit cum hoc carmine.

*Umbra habet omne suam corpus; sequitur praeitque*

*Sic secum virtus attrahit invidiam.*

In-

(f) Plutarch. in Timor.

(g) Polyb. lib. 1. histor.

(h) Valer. Maxim. lib. 4. cap. 7.

(i) Tacit. 4. histor.

(k) Dion. lib. 58.

(l) Ovid. de remed. amor. lib. 1.

(m) Senec. epist. 88.

(n) Lips. in cent. ad Belg. epist. 14.

(o) Ego 1. tom. lib. 1. cap. 16. num. 94.

(p) Tacit. in Agric.

(q) Cassiodor. lib. 2. epist. 23.

(r) Cicer. in orat. pro Flacio. Consonat illud Friderici III. Imper. Principes quasi signum ad sagittas expositos esse, ut per Aeneas Sylv. lib. 1. cap. 37.

(s) Quint. declam. 138.

(t) Plutarch. id Them.

(u) Idem in orat. Pythiae.

(x) Hadran. Jun. Emb. 9.

(y) Joachim. Camer. cent. 1. Emb. 24.

(z) Boissard. Emb. 14.

*Invidiam sine qua virtus torpescit: at illi*

*Ad laudem stimulos suggerit invidia.*

8 Et iterum araneam, quae ex eisdem floribus venenum conficit, ex quibus apes suavisissima mella constipant, & ita iniquis (a):

*Toxica ab hoc carpit sublimis aranea flore,*

*Dulcia quo parvae mella parantur api.*

*Sic quoque virtutem, scelerata calumnia carpis:*

*Et quod in hac damnes, improbe livor, habes.*

9 Huic autem umbræ se illi subtrahere solent, qui jam saepius cum ea colluctari, ad summum gloriae fastigium ascenderunt: nam uti Sol, si imminet hominis vertici, aut prorsum tollit umbram, aut minimam reddit: & ut ait Tertullianus (b), *Positus in bypsomate, & domicilio suo eclipsim pati non potest: sic ingens gloria extinguit invidiam*. Vel illi, qui nihil faciunt, vel habent, quod invidiam parare possit: nam quemadmodum ubi nullum lumen, ubi nulla felicitas, ubi nulla invidia, quæ etiam si Tacito (c) credimus, *In mediocritate fortunæ pauciora pericula praestat.*

10 Cujus dictum recolens noster Saavedra (d), & eadem, qua de agimus umbræ similitudine utens, sic inquit. *Sombra es la embidia de la virtud, buya su luz quien la quisiere evitar. Desconozcase à la fama, à las dignidades, à los oficios, el que quisiere desconocer à la embidia. Con la igualdad no hay competencia. En creciendo la fortuna de uno, crece la embidia del otro. En la fortuna mediana son menores los peligros. Peligra la gloria en las propias virtudes, i en los vicios ajenos, &c.*

11 Sed Ego hoc ultimum damnans, quia non debet virtus ob vitandam invidiam relinqui, juxta illud Horatii (e).

*Invidiam placare paras virtute relicta?*

*Contemnere miser: vitanda est improba Siren*

*Desidia: aut quicquid vita meliore parasti,*

*Ponendum equo animo.*

Et Ciceronis (f), qui de invidia, & periculis loquens, in quæ ob detectam parricidalem Catilinæ conjurationem inciderat, subdit, *Se tamen eo semper animo fuisse, ut invidiam virtute partam, gloriam, non invidiam putaret.*

12 Præstantius aliud Consilium meis Principibus, meo hoc Emblemate præsto, nempe, ut si invidiam, calumnias, & detractiones, quibus se, dum recta via incedunt, impeti sentiunt, vincere velint, eadem spernant, & nauci faciant, sibi quæ constantes, magis virtute, eisdem, quibus ceperunt, itineribus, ad gloriam, & præclara quæque facinora totis viribus admittantur; sciantque propriam, ac genuinam Regalium mentium virtutem esse, causæ, conscientiae quæ suæ justissimæ fidere, & quibuscumque oblati casibus, calumniis, vel detractionibus semper sibi similes permanere.

13 Quemadmodum sapientissimus Imperator Marcus Aurelius (g) in sui ipsius institutione his verbis scriptum reliquit. *Quidquid alii loquantur, aut faciant, me quidem oportet esse Bonum; haud aliter quam si aurum, vel smaragdus, vel purpura, semper ita diceret, quidquid alii dicant, aut faciant, aurum, smaragdum, vel purpuram esse me oportet, & colorem servare meum.*

14 Parem laudem, ob eandem animi constantiam, & susurronum contemptum, Amianus Marcellinus (h), Juliano Imperatori (in aliis pessimo) tribuit, iniquis, nihilo magis illum commotum fuisse blatteronum injuriis, latratibus ac dictis, quam Hercules Pygmæorum assultibus exterritus fuerit, imò ea contempsisse risisque, velut Thiodamantis Lindii probra, conviciisque Hercules inultus neglexit, quem locum Erasmus (i) in Adagiis adducit, & explicat.

15 Et ad hanc constantiam indicandam frequentissima esse solet, & proverbialis, ut Macrobius (k) docet, similitudo scopuli, in quem marini fluctus allidunt, sed illisi, & irrisi demigrant, qua etiam Nos in ultimo hujus Emblematis Disticho utimur, Ciceronem sequuti, qui ea saepe usus reperitur, & Virgilium (l), qui primò de Didonis in suo proposito constantia agens, sic dixit.

*Nec magis incerto vultum sermone movetur,*

*Quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes.*

Et

(a) Idem Emb. 15.

(b) Tertul. lib. 4. ad rapulam. vide omnino similia verba, Saaved. Emp. 9. pag. 59.

(c) Tacit. 14. an.

(d) Saaved. Emp. 9. pag. 58. & seqq. & pag. 68.

(e) Horat. lib. 2. Satyr. 3.

(f) Cicer. in Catilin.

(g) M. Aurel. Imper. lib. 7. de sui ipsi instit.

(h) Amian. lib. 22.

(i) Erasm. in Adag. Pygmæi, vel Thiodamant cum Hercule pag. 259.

(k) Macrobi. 6. Satur. cap. 15.

(l) Virgil. 6. Aeneid.



16 Et iterum (m) sic agens de constantia Regis Latini, in non ex audiendis populi vocibus ac rumoribus iniquum bellum expostulantibus.

Ille velut pelagi rupes innotata resistit:  
Ut pelagi rupes magno veniente fragore,  
Quæ se se multis circum latrantibus undis,  
Mole tenet: scopuli ne quicquam, & spumea circum  
Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga.

17 Quibus in locis Cerda Noster alia plura similia congescit, inter quæ illud Nazianzeni (n), de constante homine, ita loquentis. Non aliter opinor, ac rupes, quæ ventorum fluctuumque impetu, non modo, non concutitur, sed etiam incursantes undas, circa se frangit, atque absumit. Omissis tamen Senecam (o), qui multum ad rem de qua agimus, Socratem, ob invidiam carceri traditum, & multis injuriis, & conviciis affectum, sic loquentem inducit. Illustrata est virtus mea, per ea ipsa, per quæ petebatur produci enim illi, & tentari expedit: nec ulli magis intelligunt quanta sit, quam qui vires ejus lacessendo senserunt. Duricia silicis, nullis magis, quam ferientibus, nota est. Præbeo me non aliter, quam rupes aliqua in undoso mari destituta, quam fluctus non desinunt undecumque moti sunt verberare: nec ideo aut loco eam movent, aut per tot ætates crebro incursu suo consumunt. Assilite, facite impetum: ferendo vos vincam. In ea, quæ firma, & insuperabilia sunt, quidquid incurrit, malo suo vim suam exercet. Proinde querite aliquam mollem cedentemque materiam in quam tella vestra figantur, &c. Quibus cum etiam consonat illud Imperatoris Marci Antonii (p) Philosophi se ipsum sit docentis, & admonentis. Debes esse similis promontorii, ad quem assidui fluctus aliduntur, illud autem inconsumum perstat, undæque æstuant, circa ipsum coercentur.

18 Neque abest nobile Decastichon Conradi Rittershürrii, à Philippo Camerario (q) relatum, quo suadere intendens, vulgi sermones, & detractiones, fiducia rectæ conscientie sperni debere, sic dixit.

Nescia mens fraudum, inculpatæque integra vitæ,  
Scommata nullius, nullius arma timet  
Omnia contemnit, ventis velut obvia rupes,  
Mendacesque sonos unius assis habet.  
At quibus interno improbitas præcordia puncta  
Rodit, & infandum polluit ora scelus:  
Perpetuis animi curis agitantur, & omnes,  
Quæ sarsit scelerum sarcina, scire putant.  
Qui sapit, ad vitam sapiat: gere conscia recti  
Pectora nec strepitu commovere levi.

19 Florentius etiam Scoonhovius (r) in id ipsum respiciens, & invidiam, sive invidentiam, ipsis dumtaxat invidiosis nocivam esse solere, ostendere volens, alia similitudine, quæ in superiorem incidit, utitur sagittarium depingens, in durum silicem jaculantem, in quem sagittæ ab ipso missæ resiliunt. Quod, licet dissimulet, ab Erasmi (s) similibus sumpsit, ubi ita habet. *Jaculum, si in solidum aliquid incidit, nonnumquam inmittentem retorquetur: ita convitium in fortem, & constantem virum tortum, recidit in convicium facientem.*

20 Idemque, Cornelius à Lapide (t) pluribus locis, & exemplis illustrat, & novissimè Saavedra Noster (u), sub duorum canum symbolo, qui feratam cuspidatamque Herculis clavam dentibus impetunt, quos ipsa, nihil damni passa, confringit atque cruentat.

21 Et Jacobus Boisardus (x) sub famæ pictura, per æthera convolantis, humi interim invidia, vipereis linguis comitata, jacente, & se ipsam acriter dilaniante, cum lemmate, *Vir bonus invidiæ securus*, & his carminibus.

Fama per ingenuas quesita laboribus artes,  
Lucida, neglecta, sidera tangit, humo.  
Qui colis ima tenes, comes, invidie livor, honesti,  
Illusa à telis evolat alta tuis.

22 Quæ omnia satis ostendunt, invidiam, ut diximus, calumniam, & obreftationem ex aliorum virtutibus, & felicitatibus generari, hæc tamen, quæ in nihil solidum continent, nullo melius modo, quam per contemptum, & dissimulationem à Magnis Principibus, & cordatis si-bique constantibus viris elidi. Quod novissimè, ultra supra relatos, Antonius Burgandia (y) hoc Em-

(m) Idem lib. 7.

(n) Nazianz. orat. 27.

(o) Senec. de vit. beat. cap. 27.

(p) M. Anton. Imper. in vita sua. lib. 4.

(q) Camer. 3. subcis. cap. 59. pag. 215.

(r) Schoonh. Emb. 63.

(s) Erasmi. in simil. folio mibi 2.

(t) Cornel. à lapide in Eccles. cap. 27. part. 2. ex pag. 204.

(u) Saaved. Emp. 9. pag. 58.

(x) Boisard. Emb. 19.

(y) Anton. Burg. in ciuitis male lingue 2. pag. Emb. 41. pag. 181.

Emblemate significavit.

Importuna latrat catulorum turba molossus;  
Mox tamen hi contrà quod nihil hiscat, abit.  
Scilicet hæc animi generosus despicit. Ora  
Vis de te sileant improba? Sperne, silent.

23 Et exemplo suo magno animo, Magnos Reges, & Imperatores docuisse, apud plures probatos Scriptores (z) comperimus. Inter quos primas tulit David (a), ad gravia Semei convicia dissimulans, ut in libro Regum habetur. Et Alexander Macedo, qui ut in ejus apophthegmatis tradit Erasmus, cum obreftari sibi audisset, constanter respondit Regium esse bene facere, & male audire, quod Scipio Gentilis oratione ligata sic retulit.

Sed Regia res est,

Post bene facta pati tetras loligine linguas.

Licet hoc dictum Diogenes Laertius (b), & alii Aristheni tribuant, eoque sæpè usum Alfonsum Regem Panormitanus (c) scribat.

24 Eadem prudentia, & comitate ejusdem Alexandri Pater Philippus, sive, ut alii malunt, Pyrrhus Epirotarum Rex, censentibus amicis, ut quemdam, qui de ipso male erat loquutus, relegaret, non se facturum dixit, ne aliò profectus, pejora de me loquatur, & coram pluribus.

25 Cajus etiam Julius Cæsar præclaras alias animi dotes, quibus fuisse præditus legitur, hac patientia, & indulgentia exornavit, contumeliosissimos C. Calvi, & Catulli, & Auli Cæcinæ sermones contemnens, ut Suetonius (d) enarrat. Et ejus successor Augustus, consilium, circa hanc tolerantiam, sibi à Mæcenate datum, de quo nobilem mentionem, apud Dionem (e) reperio, ita bene observavit, ut eodem Suetonio (f) narrante, Aliano Cordubensi de se mali opinanti, scribenti pepercerit, dixisse contentus, *Faciam sciat Alianus, & me linguam habere, plura enim de eo loquar.* Et Tiberio de eadem re sedulo, apud se per epistolam conquerenti, ita rescripserit, *Ætati tuæ, mi Tiberi, noli in hac re indulgere, & nimium indignari, quemquam esse qui de me male loquatur. Satis est enim si hoc habeamus, ne quis nobis male facere possit.* Ex qua benignitate, ei bene Parentis nomen convenisse, Seneca (g), omnino legendus, scripsit.

26 Idem Tyberius tandem idem consilium inivit, & ut Tacitus (h) refert, convitia, & probra fædissima in se coniecta, nec verbis modo, sed & scriptis, carminibusque procacissimis, moderatissimè tulit, atque contempsit. Adèd quidem, ut etiam Senatui vehementer roganti, ut in Auctores, tam atrocium libellorum, atque sermonum inquiri, atque animadverti vellet, restiterit, generosa illa voce edita, *Non sibi tantum otii superesset ut hujusmodi negotiis se se implicaret.* In civitate libera, liberas linguas esse oportere: nec sapientis Principis esse, banc Januam civibus patefacere, quo malignitatem, atque acerbitem animorum suorum, colore vindicande dignitatis Principum, exatiarent.

27 Eandem tolerantiam Scipio Gentilis (i) in Germanico ejusdem Tiberii filio, in Hierone Syracusano, in Flavio Vespasiano, & quod magis mireris, in Nerone commendat, qui cum esset insigne crudelitate, nec facile, vel minimò peccato veniam daret, fuit tamen ad has contumelias moderatissimus, atque mitissimus. Fortè ea ratione ductus, *Quod & talia spreta exoleant, si irascere agnita viderentur*, ut Tacitus (k) ait, eoque plures, more ingenii humani, ad idem audendum exacuuntur, & excitantur.

28 Sed nullus hac in parte magis enituit, quam Adrianus, & Aurelius Severus Imperatori Romani, qui ut Spartianus (l), & Lampridius (m) in eorum vitis enarrant, Dicacibus, & Satyricis versiculis impetiti, satis habuerunt, eisdem, aliis non minus lepidis respondere, Theodosius Magnus Imperator, qui non contentus propria, quam semper habuit, moderatione, constitutionem nobilissimam de ea observanda, suo, & filiorum Arcadii, & Honorii nomine, in posterum promulgavit, his verbis (n). *Siquis modestiæ nescius, & pudoris ignarus, improbo petulantique maledictio nomina nostra crediderit lacessenda, ac temulentia turbulentus obreftator temporum nostrorum fuerit, eum pænæ nolumus subjugari, neque durum aliquid, neque asperum volumus sustinere: quoniam si id ex levitate processerit, contemnendum est: si ex insania, miseratione dignissimum: si ab injuria remittendum.*

29 Cui legi similem aliam (o) Alfonsus Rex Noster inter suas septem Partitas statuit. Et in ultra-

(z) Theat. vite humanæ. Claud. Tolomeus in peculiar. tract. Scip. Gentil. in oratio. de maled. in Princip. post tract. de conjurat. ex pag. 287. Menoch. cas. 377. Valenc. cons. 164.

(a) Reg. 2. cap. 16.

(b) Laert. & alii apud Valenz. diff. consil. 164. num. 3.

(c) Panorm. de diff. & fact. Reg. Alfons. lib. 3. cap. 37.

(d) Sueton. in Cajo.

(e) Dion. lib. 52. Valenz. sup. num. 17.

(f) Sueton. in August. cap. 51.

(g) Senec. lib. 1. de Clem. cap. 10.

(h) Tacit.

(i) Gentil. ubi sup.

(k) Tacit.

(l) Spartian. in Adr.

(m) Lamp. in Alexandro Severo, vide etiam Erasmi. in

Adag. leporem non edit. pag.

(n) L. unic. cap. si quis Imp. maled.

(o) L. ultim. tit. 2. part. 7.



utraq; mirabile est, quod etiam injurias obrectationes, & ex malitia procedentes, contemnant, si quis forte in eas aliquo dolore motus proruperit. De algun grande tuerto, que oviese recibi-do del Rey, por mengua de justicia que le non quisiese cumplir, o por grande maldad, que toviese en su corazon raigada con mal querencia contra el Rey.

30 Quibus non adversantur alia constitutiones (p), quæ de famosis libellis contra Principum, imò & privatorum honorem vulgatis, acriter inquiri præcipiunt, & malè, & injuriòse de Principibus obloquentes, perinde delinquo, ac si eos occiderent, docent; vel saltem ex indulgentia lingua multandos. De manera, que nunca con ella fabien. Nam in hoc, ut & in aliis, Prudentiæ sale opus est, & ut Martianus, l. C. ait (q), nec aut severitatis, aut clementiæ gloria affectanda, sed perpenso judicio, prout quæque causa exposulaverit, statuendum.

31 Nos enim, qui Principem vulgi latratus, & obrectationes spernere commonemus (quod ut Cassiodorus (r) ait, *Vociferatione pascitur*) non idè ejusdem libidini omnes maledicendi frenos laxamus; satis enim cognoscimus, nihil magis Principibus, quàm sui contemptum esse cavendum, & res eas omnes, quæ sui existimationem minuire possint, & in hujus conservatione verissimum, ac potissimum cujusque Imperii, & Dominationis fundamentum consistere, summaque imis confundi, ut Tacitus (s) ait, ubi ejus reverentia animos excessit. Maximè cum juxta Sidoni Apollinaris (t) sententiam, *Improbiorum probra æquè, ac præconia bonorum immortalia maneat*, & Daphidam apud Suidam (u), & alios, in monte Thorace laqueo suspensum legamus, quod in more habuit suis carminibus Regum actiones mordere. Ex quo in rem nostram Emblema quoddam construxit, & pluribus ornavit D. Joannes Horoscus (x) Covarruvias, *Sub lemmate Principibus non maledices*, quod sic habet.

Daphidas el Gramatico atrevido,  
En el monte Thoraz veis aborcado,  
Porque con libertad ha pretendido  
Decir mal de los Reyes, y fue osado  
En sus perversos versos desmedido,  
Contar quanto mal de ellos ha soñado:  
Tal castigo mandaron se le diese,  
Porque esto à los demas exemplo fuese.

Clementem igitur, non Dementem in similibus causis Principem cupimus, & qui ex personæ, loci, temporis scommatum, obrectationum, libellorumve qualitate, mentem animumque obrectantium dignoscere possit, & an quæ dicta scriptave esse comperit, in gravi Regiæ dignitatis, vel Regni detrimentum vergere possint, & Majestatis læsæ nomen, ac supplicium mereri. Prout aperte ædem Sanctiones ostendunt, quæ Imperatores, & Reges ad ejusmodi injurias cui simulandas, vel remittendas hortantur; cum tandem in calce concludant. *Integris omnibus, hoc ad Principis scientiam referri debere, ut ex personis hominum dicta pensentur, & utrum prætermitti, an exequi debeat censere possit.*

32 Unde merito Jacobus Menochius (y) post longam, & doctam hujus articuli tractationem, Arbitrarium esse resolvit, & Scipio Gentilis (z) eleganti de eodem, ad utramque partem oratione habita, eandem distinctionem admittit. Vellemque, ut omnes Principes pari confidentia, ac Titus Imperator apud Xiphilinum (a), de se dicere possent. *Nemo me injuria adficere, vel insequi contumelia potest, propterea quod nihil ago, quod reprehendi mereatur.* Ea verò quæ falsè de me dicuntur, prorsus negligo, vel illud Senecæ (b) memoriæ mandarent, qui inter alias plures similes sententias, sic habet. *Magnam fortunam, magnus animus decet, cujus est proprium placidum esse, tranquillumque, & injurias, atque offensiones semper despicere.* Et iterum alio (c) in locum, *Magni animi est injurias despicere.* Ultionis contumeliosissimum genus est, non esse visum dignum ex quo petatur ultio. Multi leves injurias altius demisere, dum vindicant, &c. Cum quo mirè consonant Philemonis Comici versus, quos Gregorius Bersmanus, ita latinos fecit.

Haud auribus concentus est jucundior,  
Quam devorare criminantis jurgia.  
Nam mussitando siquis hæc redarguat,  
Ipsam refutant criminantem crimina.

EM-

(p) L. unic. C. de famos. libel. ubi DD. l. 4. tit. 13. par. 2.

(q) L. respiciendum 11. D. de pan.

(r) Cassiod. lib. 2. epist. 27.

(s) Tacit. & plures apud Canonber. 1. tom. aph. Polit.

pag. 439.

(t) Sidon. lib. 5. epist. 8.

(u) Suid. in dict. verb. Daphid.

(x) Horos. lib. 3. Emb. 25.

(y) Menoch. de arbit. casu 377.

(z) Scip. Gen. ubi sup.

(a) Xiphil. in Tit.

(b) Senec. de Clem. lib. 1. cap. 6.

(c) Idem lib. 2. de ira, cap. 32.

## EMBLEMA XCIX.

## BEATUS ANTE OBITUM NEMO.



Dum Cressus memorat moriturus dicta Solonis,  
Mitior in captum, vivere Persa juvet.  
En Geminus una hæc docuit sententia Reges:  
Felix ante obitum nullus habendus erit.  
Disce hinc qui laudas, Fata expectare Potentis,  
Ne Mors condemnet, quæ sua vita probat.

## COMMENTARIUS.

Itam Nostram Mimum, & velut Scenam theatralem esse, Mortem autem ultimum hujus Scenæ actum, sive catastrophem, quæ aperit, an in comædiam, vel in tragediam Fabula desinat, veterum circumfertur Adagiis (a). Et ad hoc alludens Licinius meritò dixit.

Scena est vita, ludus: vel vivere disce  
Abjiciens curas, vel tua damna pati.

Et Augustus Cæsar, dum paulò ante obitum, auctore Tranquillo (b), amicos percuratus est, *Ecquid his videretur Mimum vitæ commodè transegisse?*

Et Seneca (c) inquires, *Quomodo fabula, sic & vita: non quàm diu, sed quàm bene acta sit refert. Nihil ad rem pertinet, quo loco desinas, quocumque voles desine, tantum bonam clausulam impone.* Neque aliud sensit Æneas Sylvius (d) dum dixit, *vita nostra re vera, nihil aliud quam comædia, cujus ultimus actus ne morte agitur, & magis in rem nostram Ludovicus Vives (e), sic inquires. Comædia est vita humana. Est enim oeu ludus quidam, in quo unusquisque agit personam suam. Danda est opera, ut moderatis affectibus transigatur: ne cruenta sit catastrophe,*

ffff

aut

(a) Erasm. in Adagiis pag. 265. & 716.

(b) Sueton. Tranquil. in August. cap.

(c) Senec. epist. 78.

(d) Æneas Sylv. in notis ad Panormitan. lib. 3.

(e) Vives in Satellit.